

Deum habentes pre oculis, pacem salutiferam in hac parte illibatam servantes, memoratos pacis violatores tales habere curetis, ut predicto monasterio bona sua cum fructibus ablatis integraliter restituant et de cetero pacifice possidenda dimittant ac nichillominus sic pacis lesionem emendent, ut^a eorum exemplo ceteri similia presumere reformident. Taliter vos in premissis gerentes, ut pacem quam iurastis vos servare operibus ostendatis et dominum nostrum archiepiscopum et suos fideles ac totam ecclesiam Coloniensem ad vestra beneplacita facienda inveniatis merito promptiores.

Datum Bunne, anno Domini MCC septuagesimo, in crastino beati Andree apostoli.

II. König Rudolf beurkundet gemeinsam mit seiner Gemahlin Gertrud den Verlauf des Streites der Erzbischöfe über den Sitz bei der Krönungsmahlzeit. 1273 Oct. 24.¹

Or. Reichsarchiv, Mainz Erzstift 2. Nachtrag, Fasc. 1.

Rudolfus Dei gracia Romanorum rex semper augustus et Gertrudis regina collateralis ipsius omnibus presentes | litteras inspecturis salutem in Domino.

Cum nos ad oppidum Aquense^b cum principibus nostris dilectis ad recipiendum coronacionis nostre insignia venissemus et coronacione nostra felici cum debita celebritate peracta sedes principum eorundem una cum sedibus nostris hincinde in regia domo nostra ibidem, prout moris existit, pro sollempnitate prandii locarentur, inter venerabiles principes nostros . . Magunt(inum) et . . Colonien(sem) archiepiscopos super sessione a dextris est orta materia questionis. Tandem Magunt(inus) predictus, ne tante festivitatis nostre iocunditas in aliquo turbaretur, quin potius in omnibus ad nostrum desiderium ageretur, ad magnam nostrarum ceterorumque principum precum instanciam questioni huiusmodi non inhesit. Immo recognoscimus per presentes et aperta facie protestamur, quod pro celsitudinis nostre honore, ut in eo plene sinceritatis affectum quem ad nos habere dinoscitur ostenderet per effectum, illa vice

a) 'q' 1. b) 'Aqueñ' Or.

1) Reg. imp. VI, 5. Böhmer, Reg. Rudolfs 3. Bisher nur in deutscher Uebersetzung bei Gerbert.